Multitudo librorum eſt ſtudiorum impedimentum.

PHœbi numina, præſidéſque Muſas
Non Mæander habet, ſed Hippocrene;
Is quamvis ſinuoſa ripularum
Per curvamina, circulantiúmque
Ambages tremulas arenularum
Criſpatis vagabundus erret undis.
Vos ô Pegaſidûm cohors dearum,
Vos æquabiliore quærit amne
Aut Permeſſidos hoſpitalis umbra,
Aut Libethridos aureæ fluentum.
Sed nec Calliopes cubile ditat
Multi pendula barbiti ſupellex,
(Vana heu copia!) plurimúmve buxum
Euterpen onerat; ſuam, unicámque
Clangit Terpſichore chelyn; lyræque
Unius domina, impigros eburno
Nervos pectine verberat Thalia.
Non illis folia ulla Vaticana,
Sed quæ, vel Clario jubente, frontes
Spargit frondea laurus in merentes.
Jam nunquam faciles adeſſe Muſas
Vani credimus, angulus niſi omnis,
Congeſtis ſimul hinc & hinc libellis,
Sudet pondere laſſus erudito.
Nos, nos nempe Scientiam verendam
Multorum capitum ferale monſtrum
Dudum fecimus, & voluminoſis
Abſtruſam malè clauſimus latebris.
Sic, ſic Dædaleus feram biformem
Incluſit labyrinthus. At quod iſthîc
Filum diriget invios meatus?
Quiſquis Theſëus hos petit receſſus,
Occidet citiùs ſuo ſub antro
Monſtrum, haud eruet. O beata priſci
Ævi ſecula, Palladóſque myſtas!
Queis compendia leniora ſtravit
Collis Pierius, bicépſq; tantùm
Ad cœlum properantibus cacumen.
Queis fontana ſuas ſatis faventes,
Et montana dabant vireta Muſas.
Tum mens liberior vacabat ipſis
E *rebus* didiciſſe, non *libellis*,
Quicquid conderet, ut perenniore
Proventu cumulatior rediret.
Jam ſub degeneri labore ſudans
Decerpit ſtudio moleſtiore
Fructus, quos alius minore profert.
Nobis *vita brevis* ſtat *ársque longa*,
Dum creſcentibus ipſe creſcit annis
Perplexus labor, indiéſque curis
Infinita alimenta prela fundunt.
Quorſum copia tam ferax Librorum?
Heu! ipſis ſitibundus hæret undis,
Heu! ipſis miſer aſſidétque nummis,
Lector Tantalus, Euclióque Lector.

ERGO

Multis non peto paucus eſſe libris:
In paucis volo multus eſſe libris.

Præter principia miſtorum Ariſtotelica rectè ſtatuuntur Chymica.

NOn lapides ſemper loquitur, rutilámq; recoctę
Vim ſilicis: Chymico pagina ſæpe proba.
En artis latebroſa ſuæ penetralia pandit:
Ex quibus eſt; in quæ, quod fluit, omne fluit.
Sicca Salis vis; Sulphuris humida, & humida virtus
Mercurii: flammas hæc negat, illa capit.
Cœlica Mercurius vis eſt; Sal, terrea; Sulphur
Ructat ab inferno Styx nebuloſa lacu.
Mercurius Cœlos peteret patrióſque penates,
Ni premat alatos Salſa gravedo pedes.
Maternum flueret mox labile Sulphur in amnem,
Ni firmet fluidum mixtio ſicca latus.
Sal cineres fieret, niſi viſcidus humor amici
Labentem blandâ ſiſteret arte fidem.
Sic dum ſe alternis ſtringunt complexibus, unâ
Mox Cœlos, Terras, Tartara pace ligant.
Hæc quidni Chymicus, quæ ſolvit, fœdera nôrit?
Sintque Stagiriticæ vix bene nota ſcholæ?
Illa Elementorum concordia vincula narret:
Non negat hæc Chymicus; ſed magìs alta canit.
Hic docet, unde ſuos ſugant nova balſama rores;
Unde ſuus violis halitus, unde roſis;
Unde bibunt varios mutantia corpora tinctus;
Cur pallor ſedet hîc, quà ſtetit antè rubor;
Quo mediante agiles animæ vis actuat artus,
Quâ ſeſe in motus exerit arte ſuos;
Qualia creſcentes paſcunt alimenta ſapores;
Cur linguæ placet hic, cur nocet iſte cibus.
Non tantas ſpargunt Elementa imbellia vires:
Scilicet has major dat, potiórque vigor.
Mercurius vires agiles dat, Sulphur odores
Et fucos confert, omnia Sálque ſapit.

Ergò, qui Chymicæ primordia reſpuit artis,
Nil is *Mercurii*, nil habet ille *ſalis*.

Respondens. Mr Franck Pembrok. — Opponentes. Mr Shafte Regal. — Moderator. Mr Rant Caius-Jon

Mr Norrington Pembrok. Præcauricator.